

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM,

Die Iovis 9. Februarij.

M. IACOBO MENTELIO, Doct. Medico, Disceptatore.

An Purgatio solùm à Plantis?

I.

IS est animus, & is ordo in rebus, ut semper agant seque gerant, pro ratione & finibus universæ Naturæ. Illa quippe constans in opere, omnia sic facit, & sic accuratè dirigit, ac si esset verè φρενήρης plenaque consilij, temperantiæ & æquitatis. Quod si hoc ipsum alicubi constituat atque demonstret, id potissimùm facit magistra in arte: in qua profectò ni Medicis purgationem molientibus, aliudve tentantibus adfuerit & opituletur: Tantum abest ut ægris proficiant; quin contrà summè officiunt & nocent. Atque ut ille, qui οὐκ ἔχει πηδάλιον, numquam non errat, & infelicem suc-

cessum sortitur : sic Medicus, non adspirante Natura, damnis auget sæpius quàm commodis ægrotantes ; sive hac urgeat, sive illa curandi sedulitate, qua miseros peræquè occidit officiosissimè.

II.

PVRGATIO, *est moderatio, qua selectis & expellente Natura, devolvendis unà cum medicamento malis humoribus, corpus impune liberatur. Cui substruendæ & ad summam deducendæ Stibium, quod uti mutiunt, præcipuum & maximum in se continet, Arcanum aliorum Mineralium, penitus disconvenit : ut & vitriolum, hydrargyrus, & cætera moris ejusce permulta; tanto certè nocentiora, quanto magis ad ignem experta & excocta; quantóque magis exactiori toxicorum misturâ, apparata fuerint. Ac istud inter alia : Quod quia delicatulis & tenerrimæ conditionis visceribus seu nutritiis seu vitalibus; an etiam cerebro ? lactibus, glandulosis Herophili corporibus, in quorum minera liceat dixisse, Chylus à stomacho paulum etiam elimatur, dein elutriatur in vas* χυλοδόχον, *quod haud rectè thoracicum vocant; ductulis lymphaticis, aliisque interraneis fragilibus* ἀντιμένει, *Antimonij nomen Recentium sapientiores, inditum eße contendunt. Exemplo sit Regulus abs eo notatus, Gilla Vitrioli, præcipitatum Mercurij, & alia ejusmodi nomina mille, mille nocendi artes, à quibus cane pejus & angue discavent Medici quam plures. Et verò! Prudentibus-ne conveniret, scrutis hisce feralibus, & ab illata continuò bonis civibus pernicie abominandis; explosis salubribus & innocentibus præsidiis, cassia nempe, agarico, senna, rosis, Rhabarbaro, tamarindis, ut innumeras alias Plantas prætercam, Græcis quidem veteribus incognitas : Sed ab Ara-*

bibus, ante ſexcentos annos primùm nobis communicatas, quibus mundum ditavit, ornavit, beavit magnificentiſſima Dei Opt. Max. liberalitas. Dij meliora! Sapientia & probitate, doctrina & eruditione Medicum oportet ſplendere; non obſtipo capite, Davi in morem, palpum omnibus obtrudendo prenſandoque, negotiari animas, ægros ludificare, & funereas inferre faces inſcitia & temeritate, vitiis indelebilibus Noſtratium Paracelſi, uti quondam Theſſali ipſius, Sectatorum, Galeno judice.

III.

A divini Senis mente, juxta ac ſapientis ejus Interpretis, Operum ubique ſuorum explicatâ & omnibus obvia, toto cælo aberrat; humaniſſimamque Artem in carnificinam convertit Medicus, qui in difficillimis morborum temporibus & crudis adhucdum, nec mitificatis humoribus, aſperrima quæque & valde vacuantia Pharmaca oggerit: Qualia ſunt Mineralium eſſentiæ, quas volunt, & maligniſſimi Foſſilium titiones. Quæ cum vitâ potita ſunt numquam, nihilque ac ne γρῦ quidem, ſocietatis nobiſcum habeant, nec cum calore noſtro neceſſitudinis: imò toto genere deleteria ſint & teneantur: Obruere illa potius, & ægris miſeris Theta nigrum præfigere, quàm illos ſolari, nedum abſolvere, quod Plantarum eſt proprium, quæ ſcilicet vitam vivunt, & aura fruuntur æthereа, excipiantque nos ſemper amicè. Adeout aſſumptis illis ab ebibitis cautè atque prudenter, laborantes invaleſcant, & ſæpius à meta mortis ad vitam, velut poſtliminio, revertantur atque ſaneſcant: Aliter cum ſuis metallis, Libitinæ ſacrantur à Parabolanis. Ite nunc, & vanis falſo-Medicorum, Blennorum, Bardorum pollicitationibus pectora veſtra implete: Ite & ſeveris Dogmaticæ Sectæ legibus,

ac rationi bene ſubductæ; Quin & felicibus proborum, peritorum in ea virorum, experimentis obſiſtite.

IV.

PLANTAM (quæ corpus eſt vivens, ποικίλον καὶ χαλεπὸν εἰπεῖν καθόλου Theophraſto, alendis ac medicandis Animantibus à Terra productum) univerſè ac generatim Botanici diviſêre in Arborem, Fruticem, Φρυγάνον & Herbam. Quorum partes utique in quinque diducunt: Radicem nimirum, truncum ſeu caudicem, folia, flores, & fructus: Ex quibus non modò vivimus, accreſcimus atque conſtamus: ſed & cunctis malis defungimur affectibus, ac placidè vitam traducimus, ope primarum quatuor qualitatum, ſuis δεκτικοῖς, ſeu materiæ & concremento ſubſtantiæ inhærentium; calore videlicet, frigore, humore, & ſiccitate: Ita quidem ut ſi morbis exercemur frigidis, calefaciamus; ſi calidis, refrigeremus; ſi humidis, exſiccemus; ſi ſiccis, humectemus. Has eò ſequuntur & aliæ; quæ quia dimanant à primis, ſecundæ nominantur, tenuitas videlicet, & craſſities, aliæque quamplures, paris generis, quæque nos juvant, & recreant ſimili quoque contrarietatis molimine: Aut enim emolliunt, aut indurant, laxant, intendunt, attenuant, incidunt. Præterea denſant aut adſtringunt, detergent, aperiunt, aliaſque id genus operationes committunt pro natura partis, & ſpecie vel modo affectûs urgentis, próque varietate mixturæ naturalis, vel artis à Medico ſuſceptæ, abſque myſterio cauſæ formalis. Quæ ut Phyſicis vel oculatioribus abſtruſa eſt atque occulta, ſic Medicis parum neceſſaria cenſeri debet. Hiſce ſi addas Plantarum cum putridis humoribus ſimilitudinem atque convenientiam, qua hi vel illi proliciuntur: In Purgationibus omne punctum feres: ſecus ac in

Mineralibus, quorum modo quo volueris, boni malique simul feruntur, profunduntur humores, ingratijs Naturæ, invitâ illâ & repugnante: Adeo ut per illa, propriè dicta Catharsis, sive Medicatio præstari non possit. Quidquid isti delirent: Quidquid virtutis insignia sine virtute assequuti Ciniflones præposteri; clariùs, ægrorum tortores nefarij, divinam Medici personam mentientes protervè, refigendo effutiant atque balbutiant, animósque à crimine sumant.

V.

IN negotio Purgationis, veræ & propriæ; quæ arte fit & remediis, tria inter se videntur certare: nempe Natura ejus cui medicinam facimus, Medicamentum seu Planta quæ purgat, & ipsa quæ abigi debet, Impuritas. Sic tamen ut illa bellum magis cauponari quàm belligerare possis asserere. Ita quippe bellandi invicem vices discriminant, ut hausto purgante, eoque statim subeunte ac noxios humores penetrante, Natura sui diligens ac rerum satagens suarum, ab utroque quasi commonita & excitata, occasionemque se se extricandi opportunè nacta, sibi decernit vindicias, & alacriter se accingit ad opus; à quo deinde non cessat, priusquam utrumq; suis sedibus emotum pepulerit ac rebus salvis, foras eliminaverit, quibus signis est nota Catharsis bonæ frugis, & in commodum atque gratiam ægri facessentis. Quæ in eo præcipuè à vacuatione differt; alia-ve non recta nec castigata humorum exclusione: Quod Purgatio semper fiat ex Plantis, quæ ubi ingestæ & in ventriculo fusæ, hinc in locos seu ductus, cacochymia biliosa, pituitosa seu melancholica refertos, delatæ fuerunt: Natura non ferens earum acerbitatem, fœtorem, aut acorem, (qui individui sunt comites Medicamentorum purgantium) & coquere ac in se superare illas nesciens ac res-

puens, regerit, & unà cum impuritatibus deturbat, longiúsque, qua valet, amandat: Vacuatio verò omnium ſimul humorum eſt, & exlex ac nullo delectu facta profuſio; maximè ſi comparetur ex Mineralibus deglutitis, hoc eſt calidis ſiccis egregiè Pharmacis; aut inſigniter frigidis; & ejuſce inſuper nominis, ut elidi, ſubigi & in actum referri à calore nativo non queant: Quin imò in Chymi receptaculo, ubi ſemel ingeſſeris, eo uſque perſiſtunt, donec puncta & laceſſita expultrix facultas, à maligna & deleteria eorumdem qualitate: vomitu aut dejectione, (modo exantlando Natura ſufficiat) gemendo extrudat. Sin minus, quod plus quam ſemel in die accidere, commiſereſcimus, vehementiſſimos inter conatus & ἐρετισμοὺς cruentos, miſer ægrotans, non vi quidem morbi, ſed malignitate pharmaci, animam cogitur ebullire.

Ergo Purgatio ſolùm à Plantis.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Baptiſta Ferrand.
M. Carolus Marteau.
M. Hippolytus Duval.
M. Antonius le Moine.
M. Guido Creſcentius Fagon.
M. Iacobus de Bourges.
M. Euſebius Renaudot.
M. Iſaac Renaudot.
M. Antonius Morand.

Proponebat Lutetiæ GABRIEL DACQVET, Lemovicenſis, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.

PARISIIS,

Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illuſt. Archiepiſcopi Pariſienſis Typographi.